COMPENDIVM LOGICÆ,

AVTHORE D. DAVIDE

D'E RODONE,

PROFESSORE PHILOSOPHIÆ
in Collegio Regio Nemausensi.

GENEVÆ,
Sumpt. Ioannis Ant. & Samuelis De Tournes.

M. DC. LXIII.

COMPENDIVM

LOGICÆ.

IN HOC COMPENDIO

VNIVERSALIA, PRÆDICAmenta; Definitio, Diuisio, Enunciatio; & Argumentatio breuiter explicantur.

De VNIVERSALIBVS.

I.

SINGVLARE seu Individuum est id de quo non possunt esse plura, vt Deus, hic homo, hic Sol: Vniversale verò est id de quo possunt esse plura, vt homo, Sol, &c.

2. Quinque sunt vniuersalia seu prædicabilia, sc. genus, species, differentia, proprium, & accidens: Duo priora exprimuntur nomine substantiuo; tria verò posteriora nomine adiectiuo, prętet

quædam relatiua, vt pater, dominus, maritus, quæ ſunt ſubſtantiua grammatica, & adiectiua philoſophica, rei jam conſtitutæ aduenientia.

3. Genus eſt prædicabile de pluribus ſpecie differentibus in quid tantùm, vt animal: Species verò eſt prædicabile de pluribus ſolo numero differentibus in quid tantùm vt homo.

4. Illa differunt ſpecie, quæ differunt proprietate incommunicabili, ſeu quæ habent diuerſas proprietates, ideſt quorum vnum habet aut facit aliquid, quod alterum habere aut facere non poteſt, vt homo & aſinus, ignis & aqua, &c. Illa verò differunt ſolo numero, quæ habent omnia attributa ſimilia, nullum tamen actu idem, vt duo homines, duo ignes, &c.

5. Prædicari in quid eſt prædicari eſſentialiter; & prædicari in quale eſt prædicari accidentaliter. Prædicatum eſſentiale dicitur illud quod conſtituit rem, quod eſt neceſſariò in re, & inſeparabile ab ipſa, vt rationale reſpectu hominis. Prædicatum verò accidentale è contra, vt doctus reſpectu hominis. Prędicari in quid tantùm, eſt prædicari eſſentialiter

tialiter

tialiter & ſubſtantiuè; res autem prędicatur ſubſtantiuè, ſi exprimatur nomine ſubſtantiuo.

6. Accidens eſt adiectiuum ſeparabile à ſuo ſubſtantiuo, vt doctus reſpectu hominis. Proprium eſt adiectiuum inſeparabile à ſuo ſubſtantiuo, vt riſibilis reſpectu hominis. Differentia eſt nobiliſſimum proprium, vt rationalis reſpectu hominis. Accidens eſt adiectiuum grammaticum & philoſophicum: At differentia & proprium ſunt tantùm adiectiua grammatica, non philoſophica.

7. Accidens eſt prædicabile de pluribus in quale tantùm; in quale, quia eſt prædicatum accidentale ſeu ſeparabile; in quale tantùm, quia eſt adiectiuum grammaticum & philoſophicum.

8. Differentia eſt prædicabile de pluribus in quale quid primariò: Proprium verò eſt prædicabile de pluribus in quale quid ſecundariò. Ambo prædicantur in quid quoad rem, quia realiter ſunt prædicata eſſentialia, in quale verò quoad modum, quia ſe habent per modum adiectiui, cum exprimantur adiectiuo grammatico. Denique differentia prædicatur primariò, quia eſt nobiliſſi-

mum proprium.

9. Genus diuiditur in ſummum & ſubalternum, proximum & remotum. Genus ſummum, ſupremum & generaliſſimum eſt illud quod non habet aliud genus ſuprà ſe, vt Ens duntaxat: Subalternum verò quod habet aliud genus ſupra ſe, vt reliqua genera. Genus proximum eſt inter quod & ſpeciem nihil interiacet, vt animal reſpectu hominis: Remotum verò eſt inter quod & ſpeciem aliud interiacet, vt animal reſpectu corui, nam inter animal & coruum interiacent brutum & avis.

10. Species vel infima ſeu ſpecialiſſima, quæ eſt tantùm ſpecies, & nunquam eſt genus, vt homo: vel ſubalterna, quæ eſt ſpecies ſuperiorum, & genus inferiorum, vt animal quod eſt ſpecies viuentis & genus hominis.

11. Differentia, proprium, & accidens, diuiduntur in generica, ſpecifica, & numerica ſeu indiuidualia, prout attribuuntur generibus, ſpeciebus, & Indiuiduis. Differentia etiam vel eſt diuiſiua generis; vel conſtitutiua ſpeciei; vt rationalę & irrationale, quę diuidunt animal, & conſtituunt hominem & brutum.

12. Pro-

12. Proprium quatuor modis dicitur. 1. pro eo quod soli,sed non omni conuenit,vt doctus respectu hominis. 2. pro eo quod omni, sed non soli, vt niger respectu corui. 3. pro eo quod omni, & soli, sed non semper, vt canescens. 4. pro eo quod omni soli & semper, vt risibilis respectu hominis; & hoc vltimum tantùm est verè proprium.

13. Accidens vulgò distinguitur in prædicabile, quod est adjectiuum separabile à suo substantiuo, vt suprà; & prædicamentale quod est inhærens, id est quod solum & separatum existere non potest, vt pulchritudo.

14. Indiuiduum vel vagum, quod rem incertam significat, vt aliquis homo; vel signatum, quod rem certam significat, vt Socrates, hic homo, &c.

De PRÆDICAMENTIS.

PRædicamenta seu Categoriæ sunt dispositiones rerum omnium in certas classes. Duo autem tantùm sunt prædicamenta,sc. substantia & accidens, quæ immediatè diuidunt Ens:Secundum alios sunt decem, sc. substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, vbi,

 quando,

quando, situs, & habitus.

2. Substantia est Ens per se existens seu subsistens, vt homo: Accidens verò est ens alteri inhærens, vt pulchritudo. Ens est id quod est aut potest esse.

3. Inhærere est existere dependenter à subiecto: dependere autem à subiecto, est egere subiecto ad existendum, idest ita esse affixum subiecto, vt sine eo existere non possit; vno verbo est solum & separatum existere non posse, vt sessio, pulchritudo, &c.

4. Subsistere est existere independenter à subiecto seu subiecto, idest non egere subiecto ad existendum, sed solum & separatum existere posse, vt homo.

5. Substantia duplex est, sc. corpus & spiritus: Corpora sunt impenetrabilia, idest non possunt simul existere in eodem loco: Spiritus verò sunt penetrabiles, idest possunt simul existere in eodem loco. Corpus comprehendit cœlos & elementa, lapides & metalla, plantas & animalia tam rationalia quàm irrationalia: Spiritus verò comprehendit Deum, Angelum & animam rationalem.

6. Quantitas est ens per se extensum, Esse verò extensum est habere partes

extra

extra partes, ideſt in diverſis locis exiſtentes, cum extenſio ſit poſitio partium extra partes.

7. Quantitas, vel permanens, cuius partes ſimul exiſtunt, vt quantitas manus: vel ſucceſſiua, cuius partes aliæ poſt alias exiſtunt, vt tempus & motus duntaxat. Item, quantitas vel continua, cuius partes ſunt vnitæ; vel diſcreta, cuius partes ſunt ſeparatæ. Continua triplex eſt, ſcil. linea, quę eſt longitudo tantùm: ſuperficies, quæ eſt longitudo & latitudo ſimul: & corpus mathematicum, quod eſt trina dimenſio, ſcil. longitudo, latitudo, & profunditas ſimul. Diſcreta vulgò, duplex, ſcil. numerus rerum ſeparatarum; oratio vocalis.

8. Qualitas vulgò dicitur ens perficiens ſubſtantiam quoad operationem. Eius quatuor vulgò ponuntur ſpecies, ſc. habitus & diſpoſitio, potentia naturalis & impotentia, patibilis qualitas & paſſio, forma & figura.

9. Habitus eſt facilitas non congenita; & comprehendit omnes artes, ſcientias, & diſciplinas; necnon omnes virtutes & omnia vitia. Differt autem à diſpoſitione, quòd habitus ſit difficilè mo-

bilis à subiecto, vt scientia in Doctore; dispositio verò sit facilè mobilis ab eo, vt scientia in discipulo.

10. Potentia naturalis est qualitas rei congenita, vt calor ignis; totque modis diuiditur quot substantia. Differt autem ab impotentia, quòd potentia sit valida potentia, vt visus in Iuuene; Impotentia verò sit debilis potentia, vt visus in Sene.

11. Patibilis qualitas dicitur ea quæ afficit sensum aut intellectum, & comprehendit omnia obiecta sensuum & intellectus, sc. colores, sonos, odores, sapores, qualitates tactiles, & species seu imagines rerum: Differt autem patibilis qualitas à passione, quòd patibilis qualitas diu duret, vt rubor naturalis; passio verò citò transeat, vt rubor ex verecundia.

12. Forma exterior seu figura est qualitas resultans ex situ partium quantitatis, vt rotunditas. Formam viuentis, picti dic esse figuram.

13. Relatio est id quo vnum refertur ad aliud, vt paternitas quâ homo generans refertur ad hominem genitum. Id quod refertur dicitur subiectum; id ad quod aliud refertur dicitur terminus; causa verò relationis dicitur fundamentum.

14. Rela-

14. Relatio, vel prædicamentalis quæ est accidentalis rei, & separabilis ab ipsa, vt paternitas: vel transcendentalis, quæ est essentialis rei, & inseparabilis ab ipsa, vt relatio scientiæ ad obiectum, actionis ad agens, vnionis ad res vnitas, &c.

15. Actio est productio rei: Passio verò est receptio rei in subiecto. Actio duplex est, scil. creatio, & eductio. Creatio est productio rei ex nihilo, idest ex nulla materia aut subiecto præexistente, vt productio substantię: Eductio verò est productio rei dependenter à subiecto, vt productio accidentis.

16. Vbi non est locus, sed esse in loco, putà esse in templo. Vbi, vel circumscriptiuum, quo totum est in toto loco, & partes in partibus loci, & tale est vbi corporum: vel definitiuum, quo totum est in toto loco, & totum in qualibet parte loci, & tale est vbi spirituum: Alij addunt vbi repletiuum soli Deo conueniens.

17. Quando non est tempus sed esse in tempore, vt heri, cras, &c. Tot modis diuiditur quot tempus.

18. Situs est dispositio partium in toto, si sit situs internus; vel in loco, si sit situs externus.

9. Habi-

19. Habitus est vestis, aut aliud simile prout adiacens corpori, vt esse vestitum, armatum, &c.

De DEFINITIONE.

1. QVandoquidem definitio, diuisio, & argumentatio, de quibus postea agendum est, sunt modi differendi: aliquid dicendum est de modis differendi in genere, & postea agemus de definitione.

2. Modus differendi distinguitur in obiectiuum & formalem; & vterque in simplicem & compositum. Modus differendi objectivus compositus sunt duæ res quarum vna manifestat alteram, vt vestigium leporis & transitus eius: Simplex verò est res illa quæ manifestat alteram, vt vestigium leporis manifestans eius transitum. Modus differendi formalis compositus, est cognitio duarum rerum quarum vna manifestat alteram: Simplex verò est cognitio eius rei quæ manifestat alteram.

3. Differere est ex noto ignotum patefacere, vel est cognoscere duas res quarum vna manifestat alteram: Differimus autem tribus modis, sc. definiendo, diuidendo

uidendo, & argumentando, quibus alij addunt enunciando & methodo diſponendo: Et ideo triplex eſt præcipuè modus diſſerendi aut inſtrumentum ſciendi, ſc. definitio, diuiſio, & argumento; quia de qualibet re tria cognoſcenda ſunt, ſc. eſſentia, quæ explicatur definitione; partes quę explicantur diviſione; & proprietates quæ probantur argumentatione.

4. Modus diſſerendi ſiue obiectiuus, ſiue formalis, duplex eſt, ſc. in communi & in particulari. Modus diſſerendi obiectiuus in communi eſt ille qui conſtat rebus in communi: Modus verò diſſerendi obiectiuus in particulari eſt ille qui conſtat rebus in particulari. Res in communi tractantur in Logica: Res in particulari tractantur in aliis ſcientiis. Res in particulari etiam, ſunt illæ quę ponuntur tantùm in vno prædicamento, vt homo; quibus adduntur quatuor vulgata tranſcendentia, ſc. Ens, vnum, verum, bonum: Res verò in communi ſunt illæ quę vagantur per omnia prędicamenta, exceptis quatuor tranſcendentibus; tales autem ſunt genus, ſpecies, totum, pars, ſubiectum, prædicatum, antecedens

tecedens, consequens, &c. Modi differendi formales in communi & in particulari, sunt cognitiones modorũ differendi obiectiuorum in cõmuni & in particulari; ad quos referũtur modi differẽdi vocales & scripti, qui sunt voces & scripta significantia duas res quarũ vna manifestat aliã.

5. Modi differendi obiectiui in communi, sc. definitio, divisio, & argumentatio obiectiua in communi, non autem formales, sunt obiectum per se adæquatum & legitimum Logicæ: quia Logica tractat tantùm per se de modis differendi obiectiuis in communi, & de partibus eorum; non autem de modis differendi formalibus aut operationibus mentis, nisi secundariò & per accidens: Nam in prima parte Logicæ agitur de prædicamentis, quæ sunt res; sed tractantur tantùm per accidens, idest in gratiam alterius, sc. vt faciliùs intelligantur vniuersalia, & reliqua quæ tractantur in Logica. In secunda parte agitur de vniuersalibus, quæ sunt res in communi, ex quibus fiunt modi differendi obiectivi in communi, putà ex genere & differentia in communi fit definitio obiectiua in communi. In tertia parte agitur de definitione & di-

uisione

uisione obiectiua in communi; quia in ea hæc pręcipuè traduntur, definitio debet esse adæquata definito, prędicarj de ipso, conuerti & reciprocari cum eo, constare genere & differentia,&c. Item, diuisio debet esse adæquata diuiso, debet fieri in membra opposita quę consentiant & identificentur cum toto, &c. quę omnia conueniunt tantùm definitioni & diuisioni obiectiuę in communi. In quarta parte agitur de Enunciatiône constãte subiecto & prędicato aut negato, quę sola est Enunciatio obiectiua in cõmuni. In quinta parte agitur de argumẽtatione cõstante tribus terminis subiectis aut prędicatis, quę est argumẽtatio obiectiua in cõmuni.

6. Modi differendi formales, qui sunt cognitiones modorum differendi obiectiuorum in communi, sunt actus Logicæ: facilitas verò eos cognoscendi, est habitus Logicus. Nam obiectum est id quod tractatur in disciplina: Actus est cognitio rei quę tractatur: habitus verò est facilitas cognoscendi talem rem.

Hinc facilè colligitur talis definitio Logicę: Logica est scientia de modis disserendi obiectiuis in communi. Sic autem modis differendi explicatis, agendum

dum de definitione.

8. Definitio distinguitur in obiectiuam & formalem; & vtraque in simplicem & compositam. Definitio objectiua simplex est res definiens, vt animal rationale quod definit hominem: Definitio objectiua composita, est complexio rei definientis & rei definitę, vt homo est animal rationale: Definitio formalis simplex est cognitio rei definientis; Definitio verò formalis composita est cognitio rei definientis & rei definitæ. Simplex aliter dicitur incomplexa, & composita aliter dicitur complexa. In definiendo autem definiens est notum, definitum verò ignotum.

9. Definitio in genere est oratio explicans rem, vt animal rationale quod explicat hominem. Est autem duplex, sc. essentialis, quæ explicat rem per essentialia, vt cùm homo definitur animal rationale; & descriptiua, quę explicat rem per inessentialia, vt homo est animal bipes. Definitio essentialis, vel physica, quę traditur per materiam & formam, vt homo est compositum ex corpore & anima rationali; vel metaphysica, quæ vulgò constat genere & differentia, vt

homo

homo est animal rationale.

10. Descriptio triplex vulgò ponitur, sc. accidentalis, causalis & per oppositum: Accidentalis traditur per accidentia aut contingentia, vt homo est animal bipes. Causalis traditur per causas externas, sc. per efficientem finalem aut exemplarem, vt homo est animal à Deo creatum ad gloriam & imaginem ipsius. Definitio per oppositum explicat rem per suum oppositum quod negat, vt virtus est vitium fugere.

11. Regulæ definitionis hę sunt præcipuæ. 1. definitio debet esse adæquata definito, idest nec latiùs nec angustiùs ipso patere, & ideo debet conuerti & reciprocari cum ipso, & conuenire omni, soli, & semper definito, vt patet in homine & animali rationali. 2. Definitio debet esse clara, imò & clarior definito quia ipsum explicat. 3. Definitio communiter dicitur constare genere & differentia, quæ in substantiis petitur à nobilissima ejus proprietate aut operatione; in accidentibus verò à relatione ad subjectum objectum, causam, effectum, &c.

4. Positâ vel sublatâ definitione, ponitur

nitur vel tollitur definitum, & vice versâ.

De DIVISIONE.

1. DIuisio est oratio explicans totum per partes, vt cùm homo diuiditur in corpus & animam. Totum autem est quod habet partes: Pars verò est id quod cum aliis rem constituit.

2. Totum vulgò duplex est, sc. totum per se, quod constat iis quę sunt verę partes, vt homo respectu corporis & animę; & totum per accidens, quod constat iis quę non sunt veræ partes, vt homo respectu docti & ignari; & hoc abusiuè dicitur totum.

3. Totum per se vulgò quadruplex, sc. vniuersale, essentiale, integrale & collectiuum. Totum vniversale suprà explicatum est. Totum essentiale constat partibus sine quibus esse non potest: Estque vel physicum, quod constat materia & forma; vel metaphysicum, quod constat genere & differentia. Totum integrale constat partibus materialibus vnitis: Estque vel homogeneum, quod constat partibus eiusdem nominis & rationis inter se & cum toto, vt aqua: vel hetero-

heterogeneum,quod constat partibus diversi nouis & rationis inter se & cum toto,vt homo respectu capitis, pectoris &c. Totum collectiuum constat partibus separatis , vt grex.

4. Diuisio est duplex, vna per se quâ diuiditur totum per se ; altera per accidens quâ diuiditur totum per accidens. Diuisio per se,vel vniuersalis, quâ diuiditur totum vniuersale : vel essentialis, siue physica , siue metaphysica , quâ dividitur totum essentiale , siue physicum,siue metaphysicum:vel integralis, siue homogenea , siue heterogenea , quâ diuiditur totum integrale,siue homogeneum , siue heterogeneum :vel collectiua quâ diuiditur totum collectiuum seu aggregatiuum.

5. Diuisio per accidens, vel est subiecti in accidentia aut adiuncta , vt diuisio hominis in doctum & ignarum: vel accidentis aut adiuncti in subiecta, vt divisio morbi in morbum capitis, pectoris &c. vel accidentis in accidentia , aut adiuncti in adiuncta , vt divisio mercatoris in pauperem & diuitem ; quibus alij addunt diuisionem causæ in effectus , effectus in causas, & rei in obiecta.

6. Regulæ, diuisionis hæ sunt præcipuæ. 1. diuisio debet esse adęquata diuiso. 2. diuisio debet esse in membra opposita aut distincta. 3. membra diuisionis debent consentire cum toto.

De ENVNCIATIONE.

1. ENunciatio distinguitur in obiectiuam & formalem. Obiectiua sunt duæ res de quibus iudicium fertur: formalis verò est iudicium de eiusmodi rebus;vt cùm iudico ignem esse calidum, ignis est calidus est enunciatio obiectiua; iudicium verò quòd ignis sit calidus, est enunciatio formalis iudicatiua; cognitio autem ignis calidi nihil iudicando, est enunciatio formalis apprehensiua: vocalis & scripta reuocantur ad formalem.

2. Tria sunt consideranda in Enunciatione, scil.materia, forma, & quantitas. Materia Enunciationis sunt duo extrema.Forma est identitas expressa per verbum sum, es, est, in Enunciatione affirmata;vel distinctio expressa per non sum, non es, non est in Enunciatione negata: quantitas est extensio subiecti, expressa per omnis, nullus,aliquis &c. Extremum pręcedens affirmationem aut negationem,

nem,dicitur ſubiectum : extremum verò ſequens affirmationem dicitur prædicatum,& ſequens negationem dicitur negatum.

3. Prædicatum & attributum non ſunt idem ſemper:quia attributa accidentalia aut contingentia attribuuntur ſubiectis, ſed non prædicantur de ipſis, vt albedo quæ attribuitur niui , non prædicatur de ipſa , cùm nix non ſit albedo.

4. Verbum ſubſtantiuum ſum , es,eſt, ſumitur tribus modis. 1. pro exiſto ; vt homo eſt. 2. pro identitate prædicati cum ſubiecto , vt homo eſt rationalis. 3. pro alio verbo , putà pro ſignifico aut repręſento,vt cùm dicitur de imagine Regis , hoc eſt Rex ; ideſt hoc repræſentat Regem.

5. Enunciatio ratione materiæ diuiditur in finitam & infinitam , directam & indirectam ; identicam & formalem, propriam & figuratam , mentalem,vocalem & ſcriptam,claram & obſcuram,&c.

6. Enunciatio finita conſtat extremis finitis : Infinita verò conſtat extremo aut extremis infinitis : Extremum infinitum eſt cui præponitur negatio ; vt non albus; finitum verò cui non præponitur , vt

albus: quod si negatio præponatur verbo substantiuo, dicitur Enunciatio negata. Cæterùm negata & infinita ex parte prędicati æquipollent, vt homo non est doctus, homo est non doctus.

7. Enunciatio directa est in qua subiectum se habet per modum recipientis, prędicatum verò aut negatum per modú recepti, vt homo est doctus: Indirectà è contrà vt doctus est homo.

8. Enunciatio identica est in qua subiectum & prædicatum eodem modo concipiuntur, vt homo est homo, ensis est gladius: formalis verò est in qua subiectum & prædicatum diuerso modo concipiuntur; vt homo est rationalis.

9. Enunciatio propria est in qua termini in propria significatione vsurpantur, vt homo ridet: figurata verò in qua termini in propria significatione non vsurpantur, sed ad alienam transferuntur, vt prata rident, ideft virent.

10. Enunciatio mentalis à mente & in mente formatur: vocalis ore profertur & scripta in charta pingitur: Mentalis est, prior vocali, cùm priùs concipiamus res quàm de iis loquamur: Et ideo Christus priùs concepit hoc est corpus meum, quàm

quàm id ore proferret ; & per consequens per hæc verba vltimò prolata non ponitur corpus Christi in hostia.

11. Enunciatio clara non indiget interpretatione ; obscura verò eâ indiget. Regulæ autem bonæ interpretationis hæ sunt. 1. inspicienda est natura rei de qua agitur ; Et ideo cùm in hac propositione: hoc est corpus meum agatur de sacramento, debet ita explicari, hoc est sacramentum corporis mei. 2. inspicienda sunt antecedentia;& ideo hæc propositio,hoc est corpus meum , sic explicanda , hic panis est corpus meum, quia antecedentia sunt,Iesus accepit panem , benedixit, fregit,& dedit discipulis , dicens, hoc est corpus meum,vbi manifestum est de pane accepto, benedicto , fracto , & dato Christum dixisse , hoc est corpus meum, idest hic panis est corpus meum, quod cùm non possit esse verum realiter debet intelligi sacramentaliter. Tertiò , inspicienda sunt consequentia : & ideo hæc propositio hoc est sanguis meus , sic explicanda , hoc vinum est sanguis meus scil. sacramentaliter ; quia inter consequentia hęc verba Christi reperiuntur apud Matthęum & Marcum , non bibam

ampliùs de hoc fructu vitis. 4. Comparanda est propositio cum aliis similibus ab eodem Authore prolatis: & ideo hæc propositio hoc est corpus meum, debet intelligi de esse sacramentali & significatiuo, non autem de esse reali & transsubstantiuo; quia similis propositio, scil. hic calix est meum testamentum, debet ita intelligi. 5. Habenda est ratio intentionis loquentis aut scribentis potiùs quàm vocabulorum. 6. Vsus vocabulorum tempore prolatæ propositionis est obseruandus. 7. Sequenda sunt originalia potius quàm exemplaria aut versiones, &c.

12. Enunciatio ratione formæ diuiditur in affirmatam & negatam, secundi adiecti & tertij, veram & falsam, necessariam & contingentem, categoricam & coniunctam, puram & modalem.

13. Enunciatio affirmata est in qua extrema realiter identificantur, vt homo est rationalis: negata verò in qua extrema realiter distinguntur, vt homo non est asinus. Negatio autem vel absoluta, vt Deus non est mendax; vel comparata, vt Ananias non est mentitus hominibus, sed Deo, idest non tam est mentitus hominibus

bus quàm Deo.

14. Enunciatio ſecundi adiecti eſt in qua verbum ſubſtantiuum denotat tantùm exiſtentiam ſubiecti, vt homo eſt: Enunciatio verò tertij adiecti eſt in qua verbum ſubſtantiuum denotat identitatem aut diſtinctionem extremorum, vt homo eſt rationalis, homo non eſt lapis.

15. Enunciatio vera eſt conformis rei; falſa verò difformis: Et vtraque vel eſt talis formaliter, vel alio modo.

16. Formaliter ſumitur potiſſimùm quatuor modis; ſc. prout opponitur realiter, materialiter, virtualiter & eminenter. Formaliter prout opponitur realiter, idem eſt ac ratione ſeu conceptu: Sic in Deo juſtitia eſt miſericordia realiter, quia ſunt vna & eadem res; non tamen formaliter, quia vna non includit alteram in ſuo conceptu: Item humanitas eſt eadem formaliter, ideſt ratione ſeu conceptu in Petro & Paulo, non tamen realiter. Formaliter prout opponitur materialiter, idem eſt ac ratione formæ, ſicut materialiter idem eſt ac ratione materiæ ſeu ſubiecti: ſic album eſt dulce materialiter & in concreto ratione lactis; non tamen formaliter & in abſtracto,

cùm albedo non ſit dulcedo, at album, diſgregat viſum formaliter, non materialiter. Formaliter prout opponitur virtualiter idem eſt ac actu, & virtualiter idem eſt ac potentiâ: ſic acus eſt formaliter ideſt actu acuta: cos verò virtualiter, quia habet virtutem producendi figuram acutam; virtualiter etiam ſumitur pro æquiualenter. Formaliter habere prout opponitur habere eminenter, eſt habere actu formam cum omnibus perfectionibus & imperfectionibus: habere verò eminenter, eſt eam habere ſublatis imperfectionibus: ſic homo dicitur formaliter rationalis, Deus verò eminenter tantùm; quia in ratiocinatione ſunt perfectiones quas Deus & homo habent, putà quòd ratiocinatio ſit actio & cognitio; & in ea ſunt imperfectiones quas homo habet non Deus, putà quòd ratiocinatio ſit accidens & cognitio rei priùs ignotæ.

17. Enunciatio etiam dicitur vera vel in ſenſu cauſali, vel in conſecutiuo: In ſenſu cauſali, quando cauſa prædicatur de effectu, vel effectus de cauſa, vt Chriſtus eſt ſalus noſtra, mors eſt extinctio calidi & humidi radicalis: In ſenſu

verò

verò consecutiuo, quando vnum prædicatur de alio, quia sequitur aut infertur ex ipso, vt generatio vnius est corruptio alterius.

18. Enunciatio rursus dicitur vera vel in sensu composito, vel in sensu diuiso. Sensus compositus est quando res consideratur vt manens talis: Sensus verò diuisus est quando res consideratur vt non manens talis, vt possibile est sedentem ambulare, est vera in sensu diuiso, falsa verò in sensu composito.

19. Enunciatio etiam dicitur vera vel falsa, vel in suppositione materiali, vel in formali, vel in simplici, vel in personali, vel in absoluta. Suppositio materialis est cùm vox sumitur pro seipsa, vt homo constat duabus syllabis: Formalis, cùm sumitur pro re significata, vt homo est rationalis: Simplex, cùm res sumitur in communi, vt homo est species: Personalis cùm res sumitur in particulari, vt per hominem, idest per Adamum, mors ingressa est in mundum: Absoluta cùm res sumitur in communi & in particulari, vt homo est rationalis.

20. Enunciatio quoque dicitur vera vel falsa, vel in sensu copulatiuo, vel in

sensu

ſenſu copulato. In ſenſu copulatiuo, quando prædicatum dicitur de omnibus ſeorſim ſumptis, vt omnis homo eſt rationalis: in ſenſu verò copulato cùm dicitur tantùm de omnibus ſimul ſumptis, vt omnes Apoſtoli ſunt duodecim.

21. Enunciatio denique dicitur vera, vel in ſenſu diſiunctiuo, vel in ſenſu diſiuncto: In ſenſu diſiunctiuo eſt cuius veritas reperitur in vno determinatè in ſe, licet non reſpectu noſtri, vt aliquis homo loquitur: In ſenſu verò diſiuncto, eſt cuius veritas reperitur in vno indeterminatè in ſe, vt aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndum.

22. Cæterùm omnis propoſitio poteſt eſſe vera: Nam quælibet propoſitio, vel eſt in materia neceſſaria, & ſic ſemper eſt vera, vt homo eſt rationalis: vel in materia contingenti, & ſic ſicut poteſt eſſe falſa, ita poteſt eſſe vera, vt Petrus eſt doctus: vel in materia impoſſibili, vt homo eſt lapis; quæ quidem non poteſt eſſe vera, ſed abuſiuè tantùm dicitur propoſitio; cùm enim talis propoſitio ſit quid impoſſibile, eſt purum nihil; at purum nihil non eſt propoſitio. Item, omnis propoſitio affirmàta vera eſt realiter

identica,

identica,quia quæ non ſunt idem debent negari de ſe inuicem.

23. Enunciatio neceſſaria dicitur ea quæ aliter ſe habere non poteſt, vt Deus eſt æternus: Contingens verò quæ aliter ſe habere poteſt, vt Petrus ambulat:quòd ſi plerunque contingat, dicitur etiam probabilis,vt mater amat liberos.

24. Propoſitio dicitur neceſſaria, vel neceſſitate metaphyſicâ, quæ aliter ſe habere non poteſt virtute ſupernaturali ſeu diuina,vt homo eſt rationalis:vel neceſſitate phyſicâ, quæ aliter ſe habere non poteſt virtute naturali, vt ſtupa in mediis flammis comburitur: vel neceſſitate morali, quæ aliter ſe habere non poteſt iudicio prudentum, vt mater amat liberos. Item, vel eſt neceſſaria neceſſitate abſolutâ & antecedente, quæ excludit omnem conditionem, & antecedit omnem actum voluntatis noſtræ, vt homo eſt rationalis: vel neceſſitate hypothetica & conſequente, quæ ſupponit aliquam conditionem,aut ſequitur actum voluntatis noſtræ, vt Petrus ſedet, ſuppoſito quòd eum videam ſedentem.

25. Propoſitionum contradictoriarum de futuro contingenti ſingulari, vna eſt deter-

determinatè vera, & altera determinatè falſa: quia eiuſmodi propoſitiones cognoſcuntur eſſe tales ab intellectu infallibili, ſc. ab intellectu diuino; & alioquin ſequeretur omnes prophetias eſſe incertas, & non eſſe determinatè veras: Determinatio autem oritur ex decreto diuino efficaci aut permiſſiuo.

26. Propoſitio categorica continet tantùm vnam propoſitionem, vt Sol lucet: Coniuncta verò conſtat pluribus propoſitionibus coniunctione aliquâ affectis, vt ſi Sol lucet dies eſt. Triplex autem eſt propoſitio coniuncta; ſc. hypothetica, quæ afficitur coniunctione *Si*, vt ſi Sol lucet dies eſt: Disiunctiua quæ afficitur coniunctione disiunctiua aut, vel &c. Vt aut eſt dies aut nox: Et copulatiua, quę afficitur coniunctione copulatiuâ *Et*, vt Petrus non ſedet & ambulat.

27. In propoſitione hypothetica notandum eſt primò, conditionem *Si* interdum denotare tantùm amplificationem aut exaggerationem rei; vt ſi quis tarditatem ingenij & ſtoliditatem alicuius amplificare volens dicat, ſi parietes me audirent hoc caperent quod dico, & tamen tu non capis: Et hoc loquendi modo

modo vſus eſſe dicitur Chriſtus cùm dixit, ſi in Tyro & Sidone facta fuiſſent hęc miracula, iamdudum conuerſi fuiſſe. Notandum ſecundò, conditionem *Si* interdum denotare cauſam, vt ſi Sol lucet dies eſt; interdum verò rationem tantùm aliunde petitam quàm à cauſa, putà ab effectu, ſigno &c. Vt ſi ignis vrit eſt calidus; idemque dicendum de his coniunctionibus, quia, nam &c.

28. Veritas & falſitas Enunciationis hypotheticę petenda eſt ex connexione vel non connexione conſequentis cum antecedente: Vnde fit vt interdum antecedens & conſequens ſint vera, & tamen propoſitio ſit falſa, vt ſi homo eſt animal eſt rationalis; & interdum ſint falſa & propoſitio vera, vt ſi homo eſt aſinus eſt brutum.

29. Enunciatio coniuncta eſt negata, quando negatio pręponitur coniunctioni; quando verò non præponitur eſt affirmata.

30. Enunciatio pura eſt quæ caret modo, vt homo eſt rationalis: modalis verò quę afficitur modo, qui quadruplex eſt, ſcil. neceſſe quod non poteſt non eſſe, contingens quod poteſt eſſe & non eſſe,

poſſibile

poſſibile quod non eſt ſed poteſt eſſe, & impoſſibile quod non poteſt eſſe: Eiuſmodi autem Enunciationes explicari poſſunt per aduerbia, vel per verba, vt neceſſe eſt hominem eſſe rationalem, ſic explicatur, homo eſt neceſſariò rationalis; & poſſibile eſt Petrum eſſe doctum, ſic explicatur, Petrus poteſt eſſe doctus.

31. Enunciatio excluſiua notatur ſigno excluſionis, vt ſolus homo eſt rationalis. Exceptiua notatur ſigno exceptiuo, vt omne animal pręter hominem eſt irrationale. Limitatiua afficitur limitatione, vt homo quatenus animal eſt ſenſitiuus, album materialiter ambulat, &c. Excluſiua affirmata eſt realiter negata, putà ſolus homo eſt rationalis, idem eſt ac nihil eſt rationale pręter hominem.

32. Enunciatio ſpeculatiua declarat rem eſſe talem, ſed non facit, vt homo eſt rationalis: practica verò eſt quâ fit id quod dicitur, vt fiat lux: Hęc exprimitur imperatiuo modo, illa verò aliis modis: Ideo hęc propoſitio, hoc eſt corpus meum, non eſt practica, ſed ſpeculatiua.

33. Enunciatio ratione quantitatis diuiditur in vniuerſalem, particularem, indefini-

definitam, & singularem. Vniuersalis, vel est collectiua, vel distributiua: Et distributiua, vel est in singula generum, vel in genera singulorum.

34. Enunciatio vniuersalis est ea quæ constat subiecto vniuersali & signo vniuersali: signa autem vniuersalia sunt omnis, nullus, quicunque, vt omnis homo est rationalis, nullus homo est lapis.

35. Enunciatio particularis est ea quæ constat subiecto vniuersali & signo particulari: signa autem particularia sunt aliquis, nonnullus, non omnis &c. vt aliquis homo est doctus.

36. Enunciatio indefinita est ea quæ constat subiecto uniuersali, sed nullo notatur signo, vt Hispani sunt superbi.

37. Enunciatio singularis est ea quæ constat subiecto singulari, vt Petrus est doctus.

38. Enunciatio collectiua est ea in qua prædicatum dicitur de omnibus simul sumptis tantùm, vt omnes Apostoli sunt duodecim.

39. Enunciatio distributiua in singula generum est ea in qua prędicatum dicitur vel negatur de omnibus & singulis sub subiecto contentis, vt omnis homo

est

eſt rationalis: Diſtributiua verò in genera ſingulorum eſt ea in qua prædicatum dicitur de quibuſdam tantùm ex omni genere, vt omnis morbus curabatur à Chriſto, ideſt omne genus morbi.

40. Tria ſunt præcipua accidentia Enunciationis, ſc. æquipollentia, oppoſitio, & conuerſio. Æquipollentia eſt duarum propoſitionum æquiualentia, quæ à Grammaticis eſt petenda.

41. Oppoſitio eſt pugna duarum Enunciationum iiſdem extremis conſtantium: Eſtque quadruplex ſcil. contraria, ſubcontraria, ſubalterna, & contradictoria.

42. Oppoſitio contraria eſt inter duas propoſitiones vniuerſales, quarum vna eſt affirmata, & altera negata, vt omnis homo eſt doctus, nullus homo eſt doctus.

43. Oppoſitio ſubcontraria eſt inter duas propoſitiones particulares, quarum vna eſt affirmata & altera negata, vt quidam homo eſt doctus, quidam homo non eſt doctus.

44. Oppoſitio ſubalterna eſt inter duas propoſitiones quantitate non qualitate pugnantes, vt omnis homo eſt doctus, quidam eſt homo doctus.

45 Oppoſitio contradictoria eſt inter duas

duas propositiones quantitate & qualitate pugnantes, vt omnis homo est doctus, quidam homo non est doctus.

46. Ad veram oppositionem requiritur vt sit de eodem, idest de eodem subiecto, secundum idem idest secundum eandem partem subiecti, ad idem idest respectu eiusdem, & eodem tempore, vnde fit vt oppositio subcontraria & subalterna non sint veræ oppositiones: quia subcontraria non est de eodem subiecto; in subalterna verò vna propositio includit alteram.

47. Conversio est mutatio extremorum: estque vel simplex, vel per accidens, vel per contrapositionem.

48. Conuersio simplex est mutatio extremorum servatâ eadem quantitate & qualitate; sicque conuertuntur Enunciationes negatæ & particulares affirmatæ, vt nullus homo est asinus, nullus asinus est homo; aliquis homo est doctus, aliquis doctus est homo.

49. Conuersio per accidens est mutatio extremorum seruatâ eadem qualitate, sed non quantitate; sicque conuertuntur Enunciationes vniuersales affirmatæ & negatæ, vt omnis homo est animal, aliquod animal est homo; nullus homo est lapis, aliquis lapis non est homo.

50. Conuersio per contrapositionem est mutatio extremorum, & finita faciendo infinita; sicq; conuertuntur Enunciationes vniuersales affirmatæ, & particulares negatæ, vt omnis homo est animal; omne non animal est non homo, seu quod non est animal non est homo; aliquis homo

non eſt doctus, aliquis non doctus non eſt non homo.

De ARGVMENTATIONE.

1. ARgumentatio obiectiua eſt complexio rei probantis & rei probatæ, ſeu antecedentis & conſequentis. vt Sol lucet, ergo dies eſt: Argumentatio verò formalis eſt complexio iudiciorum antecedentis & conſequentis.

2. Sex ſunt ſpecies argumentationis, ſcil. Syllogiſmus, Enthymema, Inductio, Exemplum, Sorites, & Dilemma.

3. Syllogiſmus eſt argumentatio in qua ex duabus propoſitionibus recta infertur concluſio, vt omnis homo eſt animal, Sed Petrus eſt homo, ergo Petrus eſt animal.

4. Enthymema eſt argumentatio in qua ex vna propoſitione infertur altera, vt Sol lucet, ergo dies eſt.

5. Inductio eſt argumentatio in qua ex omnibus particularibus infertur vniuerſale, vt ignis eſt corpus, aër eſt corpus, aqua eſt corpus, terra eſt corpus, ergo omne elementum eſt corpus.

6. Exemplum eſt argumentatio in qua ex vno ſingulari infertur aliud ſingulare aut vniuerſale, vt Petrus quia iuuenis impetrauit veniam à Rege, Ergo Paulus quia iuuenis eam impetrabit: Abrahamus iuſtificatus eſt fide, ergo & nos.

7. Sorites eſt argumentatio in qua ex pluribus propoſitionibus coaceruatis, in quibus prędicatum prioris eſt ſubiectum poſterioris, tandem concluditur prædicatum vltimæ de ſubiecto

primæ,

primæ, vt homo eſt animal, animal eſt viuens, viuens eſt corpus, corpus eſt ſubſtantia, ergo homo eſt ſubſtantia.

8. Dilemma eſt argumentatio in qua pluribus Aduerſario propoſitis, quolibet conceſſo, capit; vt aut ducenda vxor pulchra aut deformis; ſi pulchra erit κοινὴ, ſi deformis erit ποινὴ, ergo vxor non eſt ducenda.

9. Materia proxima Syllogiſmi ſunt tres Enunciationes, quarum prima ordinariè dicitur maior, ſecunda minor, tertia concluſio: Remota verò ſunt tres termini, minus extremum, maius extremum, & medium.

10. Minus extremum eſt ſemper ſubiectum concluſionis, & ſemper ponitur in minori cum medio: vnde minor propoſitio dicitur ea quæ conſtat minori extremo & medio.

11. Maius extremum eſt prædicatum concluſionis, & ſemper ponitur in maiori cum medio: vnde maior propoſitio dicitur ea quæ conſtat maiori extremo & medio.

12. Medium eſt quod aſſumitur ad probandam concluſionem, & ſemel ponitur in maiori, ſemel in minori, & nunquam in concluſione.

13. Forma remota Syllogiſmi, quæ aliter dicitur figura, eſt recta diſpoſitio terminorum: forma verò proxima, quæ aliter dicitur modus, eſt recta diſpoſitio propoſitionum & concluſionis.

14. Tres ſunt figuræ: prima, in qua medium ſubiicitur in maiori & prędicatur in minori, vt omne animal eſt ſenſitiuum, ſed omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſenſitiuus.

15. Secunda eſt in qua medium prædicatur in vtraque propoſitione, vt nullus lapis eſt animal, ſed omnis homo eſt animal, ergo nullus homo eſt lapis.

16. Tertia eſt in qua medium ſubiicitur in vtraque propoſitione, vt omnis homo eſt rationalis, ſed omnis homo eſt animal, ergo aliquod animal eſt rationale.

17. Quarta additur ab aliis, in qua medium prædicatur in maiori & ſubijcitur in minori, vt omnis homo eſt animal, omne animal eſt ſenſitiuum, ergo omnis homo eſt ſenſitiuus; verùm hæc quarta figura non differt à prima niſi tranſmutatione propoſitionum.

18. Modi Syllogiſmorum directi ſunt quatuordecim: quatuor primæ figuræ, Barbara, Celarent, Darij, Ferio: quatur ſecundæ, Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco: & ſex tertię, Darapti, Felapton, Diſamis Datiſi, Bocardo, Feriſon. In his modis quatuor vocales ſunt conſiderandæ, A, E, I, O. A denotat vniuerſalem affirmatam, E vniuerſalem negatam, I particularem affirmatam, O. particularem negatam.

19. Regulę Syllogiſmorum categoricorum ad hanc vnicam reuocari poſſunt, In Syllogiſmo debent tantùm eſſe tres termini non æquiuoci: Ideo ſi ex negantibus, aut particularibus, aut ex maiori particulari vel minori negatâ in prima figura, aut ex purię affirmatis in ſecunda &c. non rectè concludatur, tota ratio eſt quia in iis ſunt quatuor termini; aut ſi tres tantùm, vnus eſt æquiuocus æquiualens duobus, vt patebit ex ſophiſmatibus infrà tradendis.

20. Vnicum

20. Vnicum est principium & fundamentum omnium Syllogismorum categoricorum, scil. quæ sunt eadem vni-tertio sunt eadem inter se: ideo enim minus extremum & maius extremum identificantur inter se in conclusione, quia identificata sunt cum medio in præmissis; Syllogismi autem negati reducuntur ad affirmatos infinitos aut æquipollentes, nô minùs quàm propositiones negatę reducuntur ad affirmantes infinitas aut æquipollentes, putà homo non est lapis reuocatur ad istas, homo est non lapis, homo differt à lapide, homo est aliud à lapide.

21. Syllogismus diuiditur in categoricum qui constat propositionibus categoricis, de quo suprà, & coniunctum qui constat propositione aut propositionibus coniunctis, de quo nunc.

22. Syllogismus coniunctus diuiditur in hypotheticum, disiunctiuum, & copulatiuum. Hypotheticus constat propositione aut propositionibus hypotheticis, vt si Sol lucet dies est, sed Sol lucet, ergo dies: Disiunctiuus constat propositione disiunctiua, vt aut est dies aut nox, sed non est dies, ergo est nox. Copulatiuus constat propositione copulatiua, vt Petrus non stat & sedet simul, sed stat, ergo non sedet.

23. Regula Syllogismi Hypothetici est, vt affirmetur antecedens maioris in minori, ad affirmandum consequens in conclusione; vel negetur consequens maioris in minori ad negandum antecedens in conclusione: Antecedens autem dicitur prior propositio maioris, quę immediatè sequitur conditionem *Si* Consequens verò est posterior propositio quæ sequitur ex

antecedente.

24. Regula Syllogiſmi diſiunctiui eſt, vt negetur vnum membrum maioris in minori ad affirmandum alterum in concluſione.

25. Regula Syllogiſmi copulatiui eſt vt affirmetur vnum membrum maioris in minori ad negandum alterum in concluſione.

26 Syllogiſmus diuiditur etiam in demonmonſtratiuum, topicum, & ſophiſticum. Demonſtratiuus ſcientiam parit ex propoſitionibus neceſſariis & euidentibus: Demonſtratio autem duplex eſt, propter quid, & quia: Demonſtratio propter quid eſt quâ probatur effectus per cauſam proximam, vt omne leue tendit ſurſum, ſed ignis eſt leuis, ergo ignis tendit ſurſum: Demonſtratio quia duplex eſt, vna quâ probatur cauſa per effectum, aut aliud poſterius, vt quod tendit ſurſum eſt leue, ſed ignis tendit ſurſum, ergo ignis eſt leuis; altera quâ probatur effectus per cauſam remotam, & quidem negatiuè, vt omne reſpirans eſt animal, ſed lapis non eſt animal, ergo lapis non reſpirat.

27. Syllogiſmus topicus opinionem parit ex propoſitionibus probabilibus, vt quod eſt de ſubſtantia matris diligitur à matre, ſed liberi ſunt de ſubſtantia matris, Ergo diliguntur à matre. Propoſitio neceſſaria non poteſt eſſe falſa; Propoſitio verò probabilis vt plurimùm vera eſt, ſed poteſt eſſe falſa, vt mater amat liberos. Scientia eſt cognitio rei neceſſariæ per rationem neceſſariam & euidentem, & eſt aſſenſus rei ſine formidine; opinio verò eſt aſſenſus rei cum formidine ſaltem virtuali.

28. Syllo-

28. Syllogiſmus Sophiſticus errorem parit ex propoſitionibus fallacibus : Omnia autem ſophiſmata reducuntur ad æquiuocationem,& ſoluuntur oſtendendo terminum aliquem ſyllogiſmi aliter ſumi in vna propoſitione, quàm in altera aut in concluſione.

De LOCIS ARGVMENTORVM.

1. OMnia media Syllogiſmorum eruuntur ex quibuſdam locis. Locus eſt ſedes argumenti ſeu medij quo probatur concluſio. Loci præcipui ſunt vniuerſalia, cauſæ, coniugata, totum, oppoſita, comparata & teſtimonia. Medium reſpicit tantum attributum.

2. Vniuerſalia ſunt genus, ſpecies, differentia, proprium, accidens, & definitio, & ad accidentia quidam reuocant antecedentia, conſequentia, & concomitantia. A genere ad ſpeciem argumentandum eſt negatiuè, non eſt animal, ergo non eſt homo. A ſpecie ad genus argumentandum affirmatiuè, eſt homo: ergo eſt animal. A differentia, proprio, definitione, & ſubiecto eorum, argumentandum affirmatiuè & negatiuè, vt patet in rationali, riſibili, animali, rationali, & homine. Ab accidente argumentamur ad ſummum probabiliter tantùm. Ab antecedentibus conſequentibus, & concomitantibus, ſi ſint contingentia, argumentamur eodem modo quo ab accidentibus; ſi ſint neceſſaria non reciproca, argumentamur eodem modo quo à genere & ſpecie; ſi verò ſint neceſſaria reciproca, argumentamur eodem modo quo à differentia & proprio.

3. Causa est cuius vi res est, est vulgò quadruplex, materia ex qua res fit aut componitur, forma per quam res est, efficiens à quo res est,& finis propter quem res est. A materia argumentandum negatiuè. A forma argumentandum affirmatiuè & negatiuè. A causa efficiente argumentandum negatiuè, si tollatur pro omni tempore; affirmatiuè verò si sit causa proxima, sufficiens seu totalis, & necessaria, cum omnibus requisitis & sublatis impedimentis. A fine argumentandum affirmatiuè & negatiuè si sit aut non sit efficaciter intentus.

4. Coniugata sunt plura ab vno deriuata, vt iustitia, justus, iustè, ad quę referuntur concreta seu denominatiua, & abstracta seu denominantia. Concretum potest explicari per habens vt albus idest habens albedinem; abstractum verò non potest sic explicari vt albedo. Abstractum est forma denominans; concretum verò est compositum ex subiecto denominato & forma denominante. A coniugatis autem argumentamur affirmatiuè & negatiuè. Ab abstracto ad concretum affirmatiuè, non semper negatiuè; & à concreto ad abstractum negatiuè, non affirmatiuè, nisi prædicatio sit essentialis metaphysica. Ab actu ad potentiam affirmatiuè; à potentia ad actum negatiuè.

5. Totum est quod habet partes: Pars verò quod cum aliis constituit totum. A toto argumentandum affirmatiuè; à parte verò negatiuè.

6. Opposita speciatim & disparata differunt, quòd opposita speciatim sint ea quæ ita pugnant inter se

inter ſe vt non eodem modo pugnent cum aliis, vel ſunt ea quorum vnum vni opponitur, vt calor & frigus; diſparata verò ſunt ea quæ ita pugnant inter ſe vt eodem modo pugnent cum alijs, vel ſunt ea quorum vnum multis opponitur, vt homo & equus, homo enim ita pugnat cum equo vt eodem modo pugnet cum aſino.

7. Oppoſita vel relata, vel contraria, vel priuantia, vel contradictoria: de relatis ſuprà. Contraria ſunt duo entia poſitiua ſe mutuò expellentia, vt calor & frigus: ſuntq; vel immediata quę non habent medium, & ideo alterum eorum neceſſariò ineſt ſubjecto capaci, vt ſanitas & morbus; vel mediata quæ habent medium, & ideo neutrum eorum neceſſariò ineſt ſubiecto capaci, vt albedo & nigredo: porrò medium contrariorum, vel participationis quod componitur ex vtroque extremo, vt tepidum, vel negationis quod exprimitur per negationem vtriuſque extremi, vt inter bonum & malum datur puer qui nec bonus nec malus moraliter; illud dicitur medium formæ, & hoc medium ſubiecti. Priuatiua ſunt quæ ſe habent vt forma & priuatio ejus, vt viſus & cæcitas. Contradictoria ſunt quæ ſe habent vt ens & non ens, vt homo non homo.

8. Ab oppoſitis licet argumentari ad probandam concluſionem quamlibet, quæ doctrina nititur his axiomatibus. Primum tale eſt: Oppoſita non poſſunt eſſe ſimul, in eodem ſubjecto, ſecundum eandem partem, comparatè ad idem, & eodem tempore. Secundum eſt ejuſmodi, oppoſitorum oppoſita prædicata, & contrariorum

contrarij

contraria consequentia, vt si virtus est amanda vitium est fugiendum: limitatur hoc pacto. 1. Consequentia seu prædicata debent esse propria non communia, vnde non valet albedo est visibilis, ergo nigredo est invisibilis. 2. Debent esse per se non per accidens, vnde non valet calor indurat lutum, ergo frigus mollit ipsum. 3. Non debent esse contraria per excessum & defectum, vnde non valet prodigalitas est fugienda, ergo avaritia est amanda. 4. Cætera debent esse paria, idque in naturalibus non in moralibus; paria autem erunt si sint in eodem gradu, & considerentur eodem respectu; vnde non valet mala opera merentur mortem æternam, & sunt causa damnationis, ergo bona opera merentur vitam æternam, & sunt causa salutis; nam mala opera sunt perfectè mala & à nobis, at bona opera sunt imperfectè bona & à Deo in nobis; adde quòd meritum pœnę crescit ex dignitate personæ offensæ & vilitate personę offendentis; meritum verò præmij decrescit, imò nullum est, cùm nulla sit proportio inter Deum & hominem; inter opus hominis & salutem. 5. Relata sunt simul naturâ, quia se mutuò ponunt & tollunt; necnon definitione & cognitione, quia vnum cognoscitur & definitur per alterum. 6. A priuatione ad habitum non datur regressus naturaliter, sed supernaturaliter. 7. Inter contradictoria non datur medium.

9. Comparata sunt paria, maiora, & minora. Argumentamur à pari, quando pro medio sumimus æquè probabile, vt Rex pepercit Petro iuueni; ergo parcet Paulo iuueni. Argumentamur

à maiori

à maiori ad minus, quando pro medio assumimus aliquid magis probabile, vt Petrus non potest gestare scamnum, ergo multò minùs lectum. Argumentamur à minori ad maius, quando pro medio assumimus minùs probabile, vt Petrus potest gestare lectum, ergo multò magis scamnum. A pari argumentamur affirmatiuè & negatiuè; à maiori ad minus negatiuè tantùm, & à minori ad maius affirmativè tantùm.

10. Testimonium, vel diuinum, vel humanum: A diuino argumentamur affirmatiuè in rebus omnibus, negatiuè verò in rebus ad salutem necessariis. Testimonium humanum vel publicum vel priuatum, vel scriptum vel non scriptum, vel vetus vel novum, vel multorum vel paucorum, vel sapientum vel vulgi, &c. Axioma tale est, credendum sapientibus potiùs quàm vulgo, doctis quàm indoctis, multis quàm paucis, ac denique vnicuique artifici in sua arte credendum est.

De METHODO.

1. METHODVS est ordo disciplinarum. Ordo est dispositio secundum prius & posterius; estque vel doctrinæ, vel naturę. Ordo doctrinę à facilioribus, magis necessariis, & iis quę inseruiunt ad alia intelligenda progreditur. Ordo verò naturæ procedit à prioribus naturâ ad posteriora naturâ, atque adeo à partibus ad totum, ab vniuersalibus ad particularia, ab imperfectioribus ad perfectiora.

2. Methodus vel synthetica quâ progredimur

mur à partibus ad totum, à ſimplicibus ad compoſita, ab vnieruſalibus ad particularia, à principijs ad principiata, & ideo ſeruat ordinem naturæ. Methodus verò analytica è contra progreditur à toto ad partes, à fine ad media, &c.

FINIS.